



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptura, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atque Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

De peculiaribus officiis Collegiorum 132 [i. e. 131]

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**



ordine prædicent, simulque officium Missæ celebrent, quo equaliter omnes Choro atque diuinis adstringantur.

*Resp.* Primum n. fundatio Metropolitanæ Collegij Colonienfis, fundata in verbo Dei, & Canonibus sacris, requirit, vt omnes Clerici in eo, & ad hunc finem ministrèt, vt populus Christi partim in ciuitate, partim ruri in Ecclesiis Metropolitanæ Ecclesiæ coniunctis & concreditis, in Christiana doctrina ædificetur, idque per maximè idoneos homines, qui ad hoc inueniri possunt, optima item ratione ac forma quæ excogitari queat: quæ semper per Archiepiscopum imprimis moderari debet. Iam Presbyterale ministerium ad prædicandum & docendum peculiariter est à Spiritu S. institutum, vt iam antea demonstratum est. Neque requirit Liber, vt prædicandi munus ab iis, qui spirituali Episcopi officio immediatè funguntur, remoueatur, sed potius vt denuò rectè illis imponatur.

De nostra vocatione ac ministerio, & similibus Episcoporum, supra dictum est. Summum quidem Episcopale munus Ecclesiæ, hoc est, suprema cura & inspectio, humeris nostris incumbit: sed simul etiam Electoralis vocatio & officium. Quod, prout & Ecclesiarum, & ditionum, quibus præfecti sumus, res hoc tempore comparatæ sunt, cum voluntate Dei deferere, & ad prædicandi munus, ad quod à Domino vocati, & donati non sumus, nos applicare non possumus.

Ex his vnique Christiano obuium est videre, Librum, dum duos Canonicos Presbyteros ad prædicandi ministerium ordinat, nihil quod fundationi Metropolitanæ Collegij Colonienfis, vel canonibus contrarietur, ordinare. Eadem ratio est eius, quod constituit vt duo Officio Sacræ Missæ, ac duo Theologicæ Lectioni præsententur.

In eo verò quod ordinat, vt duo constituantur, qui Collegio & Capitulo consilio adsint, negotiæque eius temporalia expediant, & sint quasi eius Syndici, non nihil quidem à vero Presbyterali ministerio declinauit, ad munus Diaconorum & Subdiaconorum, vel potius Oeconomorum. Quamuis Liber non postulet, vt tales ad istud ministerium applicentur, qui idonei sunt ad verum Presbyterale munus obeundum. De Præbendis loquitur, quarum nulla nunc verò Presbyterali ministerio dicata & destinata est. Si verò iuxta nostram ordinationem sex istæ Præbendæ, ad verum Presbyterale ministerium, reliquæ item duæ, ad utile & reale ministerium Ecclesiæ redirent, nihil haberent Aduersarij, quod de hac nostra ordinatione iure conquirentur.

Choro quoque adstrictos volunt Aduersarij Presbyteros, quod tamen in Concilio Romano Excommunicationis pœna damnatum est, In sancta, dist. 92.

*De peculiaribus Officiis Collegiorum.*



## CAP. CXXXI.



ONÒ, Liber Reformationis Prapósito Metropolitanæ Ecclesiæ imponit, vt intendentiam habeat ad Ecclesias & Scholas, bonaque tam Ecclesiæ, quàm quæ scholis destinata sunt, pro necessitate administret.

Id calumniatur Aduersarij, perinde ac si respicere in scholas, idè à scholastico sublatum sit: quasi que velimus administrationem bonorum capitularium, & Præbendarum abrogare, & rursus omnia soli Prapósito permittere. Atque hoc pacto contra iuramenta & obligationes agere.

Prapósito tanquam summus ab Episcopo Prælatus, iurare quidem debet, in administratione omnium quæ ad verum Ecclesiæ ministerium pertinent: verum in suo gradu, & iuxta modum præfinitum. Ne quis idcirco in suo munere, vel destinatis præbendis offendatur, sed vt omnis eiusmodi offensus euitetur.

Calumniatur & hoc quoque, quasi Liber de Officio Decani commemorat, eisque committit, vt diligenter prospiciat, quo Concionatores optimi Ecclesiis designentur. Scribunt, id potius ad Episcopale officium pertinere.

Quasi verò Episcopus, non multis ad hanc rem Adiutoribus indigeat, præsertim verò præcipuis Prælati: quasi etiam eiusmodi opem auxiliūque Episcopo ferre, non imprimis ad supremum Archipresbyterum pertineat.

*De Vicariis.*

## CAP. CXXXII.



ECIMVM, quod Aduersarij accusant, est Vicariarum commutatio. De ea paulò ante, in defensione septimæ partis dictum est. Verum hoc loco aliquid adiungunt, nempe, mutare vicarias, non esse in nostra potestate. Quod & contra verbum Dei, & contra sacros Canones dicunt, qui singulis Episcopis iniungunt, vt omnes oblationes & dona fidelium, simul cum Ecclesiæ ministeriis semper ad ædificationem totius populi, pietatisque profectum instituat.

Amplius adiiciunt, neque malum, neque contemnendum officium fore, si attentè assidueque laudes diuinæ cantarentur, & precibus in Ecclesia Deo supplicaretur.

Etiamsi cantiones & Lectiones istæ sacris Scripturis essent consentaneæ, & ad edificantem totius populi intellectum instituerentur, & expedirentur: Nihilominus tamen cantare & legere nõ potest esse ex officio, ac ministerio Presbyterorum, quorum proprium munus est, prædicationi Euangelij, & disciplinæ Christianæ incumbere, vnà cum distributione Sacramentorum. Canere enim & legere ad inferiores Clericos pertinet, quemadmodum Concilium Romanum rectè decreuit, in sancta. Distinctione 92.